UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

11. Dies Octobris. Nesis auceps verborum, sed collector præceptorum. S. August. in Psal. 55.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55659

Visual Library

11. DIES OCTOBRIS.

Ne ſis auceps verborum, ſed collector præceptorum. *S. Auguſt. in Pſal. 55.*

Memoria. I. A Reformatione Intellectus, gradum facimus ad reformationem Memoriæ. Munus eſt Intellectus inſtar apis, evolare ad varios hortos, prata, agros, atque ibi è diverſis floribus, quod eſt optimum exſugere, ac inde favos conficere. Quidquid fuit per varios hortos diſperſum, hoc totum poſtea in alveario, quod multiplicibus diſtinctum eſt cellulis, eſt collectum. Sic Intellectus inſtar apis argumentoſæ, luſtrat varios libros, quaſi totidem hortos, & inde delibat, quæ poſtea in alveario, hoc eſt in Memoria recondat: ſelegit pias ſententias, illic acuta reſponſa, alibi ſubtilia apothemata, ibi raram hiſtoriam, iſtic utilia vivendi præcepta. Quæ omnia ſimul conglobata, poſtea diſtinctè collocentur in alveario Memoriæ. Sed unum eſt obſervandum, digniſſimum obſervatu, dum ut memoriam ſarcias utilibus ſpeciebus, ideoque libros lectitas, non tam, ut monet teſſera, ſis auceps verborum, quàm collector præceptorum. Eſt fuci colligere verborum fucos, apis verò colligere præcepta, quia ex illis colligitur favus. Illa quæ committis memoriæ, ſint talia quæ ſint digna memoratu: ſint quæ excolant vitam, non linguam, quæ expoliant mores, non reficiant aures: non ſint phraſes Aldi Manutii, vel elegantiæ Nizolii, ſed ſententiæ Ambroſii, vel monita Hieronymi. Non ſint quæ tractent de *lana caprina*, *aſini umbra*, ut eſt in Proverbio, ſed de animæ ſalute.

II. Hoc porrò ut aſſequaris, non ſatis eſt obiter

libros volvere, ſed oportet lente volutare. Non debe per libros volitare, ut gallus gallinaceus per prunas, hoc eſt raptim, ac ſaltuatim multa percurrere, & nunquam inſiſtere. Lectio penſiculata ſit, & crebrius interrupta, ut quod legeris, inde quod poſtea expendas, ſeligas, & recollendo melius intelligas. Sunt qui non edunt, ſed vorant, & ut de iis propriè Plautus, *tubucinantur*, plenis buccis grandes bolos properanter ingerunt, ſed non digerunt, nec mandunt, ſed degluttiunt. His cibus non tam alimento eſt, quàm detrimento. Ita qui multum ingerit legendo, nihil autem digerit expendendo, vitioſe legit, & nil niſi vitia colligit: Alias poſt plurimos in legendis libris exactos annos, ſis licet ætate gravis, capillis canus, quid inter erit, niſi quod in homine monſtroſum ait D. Bern. *Sermo multus, fructus nullus, vultus gravis, & actus levis: caput canum, & cor vanum.* Attende porrò qualia ſint, quæ in memoriæ promptuario recondas, quæ poſtea depromas. Quorundam expedit obliviſci, quàm reminiſci. Audi quid ad propoſitum ſcribat Iſid. Peluſiota. *(a) Inimicitiam in aquam ſcribere oportet, ut quamprimum obliteretur: Amicitiam autem in æs incidere, ut perpetuò firma, & immota conſervetur.* Sic injuriæ tibi illatæ, contumeliæ contra te prolatæ, ſcribantur in aqua, deleantur protinus de memoria. At Dei beneficia, quatuor noviſſima, cœleſtia conſilia, ſalubria monita, ſcribantur ſtylo ferreo in ære, ut perſiſtant in memoriâ ære perennius. Tunc reddes te omnibus ſuſpiciendum; & quæcunq; proferes, erunt tanquam è cortina, quædam effata, ut vel momus tuis dictis applauſerit, mendaciumque lapſum, nihil contra illa effingere mendacii poſſit.

(a) *L.3. Ep.211.*

III. Sed unum ſubit mirari. Ubi memoria tam longè, latéque per omnia præterita vagatur, unde cæleſtium præceptorum tanta oblivio, cùm tam pauca ſint numero? Undè oblivio Dei unius? Undè oblivio ſuimet? Tenaciſſima eſt memoria rerum futilium & inutilium: quonam verò, & quo vaga hæc, volatiliſque memoria? quæ cùm cœlum, terramque pervagata, omnia perluſtraverit, in ſeipſam neſciens reverti, quod unum neceſſarium, & ſalubre erat, obliviſcitur? In quibus ſi aliquid delectationis interdum, ſæpè tamen anxietatis eſt plurimum. Non malè Themiſtocles, cùm ei quidam memorandi artem à Simonide tunc inventam polliceretur; Malle ſe, oblivionis, quàm memoriæ artem addiſcere. Hæc ars oblivionis, ut plurimum plurimis convenit, ita plerique & dediſcenda diſcunt, & diſcenda dediſcunt: in his tantum quorum utilis eſſet oblivio, Memoriam exercentes. Vis reformare memoriam, & ſic benè efformare vitam? *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Illa vox Eccleſiæ, ſit lex Memoriæ. Lamæ ſacerdotes Tibetenſes precatui concrepant buccinis ex humanis oſſibus, roſaria geſtant ex iiſdem, potant frequenter ex cranio. Rogati cur id facerent, reſponderunt, ut mortem ſecum deferent in memoria, antequam à morte efferentur funera. Admiranda fuit memoria Mithridatis, viginti duarum linguarum tenax. Satiùs eſt meminiſſe duorum præceptorum, à quibus tota lex pendet, & Prophetæ, videlicet: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde; proximum verò ſicut teipſum. Itaque ut utiliter exerceas memoriam tuam, memento tuorum ſcelerum, ut doleas; memento mortis, ut

tibi provideas; memento Divinæ Juſtitiæ, ut timeas; memento Divinæ Bonitatis, ut gratias agas: ſed ſuper omnia memento, quod erit poſt omnia, extremi Judicii. Aurem vellicat Poëta:

Judicis in lite, eſt vox perbrevis, Ite, Venite.

12. DIES OCTOB.

Non refert quàm multos, ſed quàm bonos habeas libros? *Seneca Epiſt. 49. ad ſu.*

Lectio librorum. I. PEtrus Cardinalis Aldebrandinus rogatus, quænam eſſet optima ſapientiæ ſchola? Reſpondit; Memoria. Hæc porrò ut habeat copioſam illuſtrium rerum in ſuo promptuario ſupellectilem, opus eſt aſſiduâ ſelectiſſimorum librorum lectione. In qua tamen, quod monet teſſera, illud obſervandum, ut non tam habeas, quos evolvas multos quàm bonos libros. Fuit hoc utiliſſimum Petri Bleſſenſis, quod Regi Anglorum Henrico II. ſuggeſſit conſilium. (*a*) Scitis quod totius prudentiæ compendium in literis continetur. *Si reſp. regenda eſt, ſi prælia committenda, ſi caſtra metanda, ſi machinæ erigendæ, ſi renovandi aggeres, ſi propugnacula facienda! denique ſi quies libertatis, ſi Juſtitiæ cultus, ſi reverentia legum, ſi finitimarum gentium amicitiæ ſunt faciendæ; libri hæc omnia erudiunt ad perfectum.* Placet oculis conſpicuas proponam ampliſſimas quæ in libris latent divitias, & theſauros? Si quid apud veteres, recenteſque Scriptores ſubtiliter dictum, quid ſententiosè prolatum, ſymbolis & apologis involutum, ſi quid ab oraculis reſponſum, à Principibus ediptum,

dictum,

(a) *Epiſt. 47. ad Henric.*